



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventuræ Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiæ, Speculum Disciplinæ, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De disciplina in officiis inter fratres. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

De disciplina in officiis inter fratres.

CAP. XXVI.

DENIQUE in officiis, maximè in refectorio, in oratorio, dormitorio, cæterisque que consuevit frequentare conuentus, etiam ad latrinas disciplinatè se habeant & quietè. Nunquam per susurrum & tumultum, occasione operis alicuius fratres orantes, studentes, aut quiescentes impediunt. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Vnde si fortè aliquid etiam præter horas statutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimèto, qui ibi aliquid agendum putauerint. Cum per dormitorium fratribus quiescentibus vadunt, non planè, imò quasi furtiuè incedant. Parado lectum vel alio quouis modo, quiescentes reprehensibiliter inquietant. Surgentes à lecto, ipsum decenter operiant, ne velut irrationabilium cubile remaneat imparatus. De priuatis loqui si cui turpe viderur, turpius nouerit ibi turpe aliquid committi. Ibi non congruit, vt quasi mox gelicidio perituri, amictus accessorij sarcinam deferant. Ibi religiosus cum summo silentio & operto profundè capite debet esse. Ibi confabulari, & præter necessitatem hac & illac capite discooperto respicere, religiosorum esse non dixerim, sed scurrarum. Ibi seruanda in manuum & vestis dispositione honestas. Ibi honestus quisque diligenti opera cauet, ne per ipsum aut per eius incuriam aliquis offendatur. Ibi cauendum est eis, ne stantes vrinent, vel à loco minùs honestè recedant. Sed nec per hortum est facilè vrinandum, vel alibi vbi à sociis aut ab aliis videri possint: quia, vt ait quidam, Multa possunt honestè fieri, quæ non possunt honestè

Aug. 118.
cap. 7.
Oratoriū.

honestè videri. De singulis ad disciplinam per singulas officinas & loca spectantibus, vix aut nunquam singulariter posset edisseri. Ad multa tamen haberi potest disciplinæ consideratio ex prædictis. In ostiis aut officinarum, aut vbi fratrum communis est transitus, maximè circa priuatarum introitum, vnde ad necessaria euntes & redeuntes respici possunt, nunquam honesti fratres faciât stationem. Quando etiam intrant & exeunt, officinarum secretiorum ostia post se claudant: ne superuenientes extranei & intrantes, fratres inueniant imparatos. Nunquam extraneos licet familiares ad visitandum officinas inuident. Si quâdo tamen ad aliquorum instantiam eas ostendere permittantur, domos tantùm communiore, non intra per singula loca seu angulos peragrando: sed ab ostiis expedite quantum honestas permiserit ostendentes, quicquid eorum aspectu subtrahere poterunt, subtrahât & furetur. Nō est religio, vbi omnibus omnia patet. In locis cōmunibus vbi fratrum occurrerit frequentia, nullo modo derineant aduentantes. Infirma hæc paruulis exprimens, grandium ocilla non vito: sed vbi proficit paruiducendus est illusor.

De modo conuersandi in omni loco secularium.

CAP. XXVII.

Nunc videndum est qualiter in villa, itinere, ecclesia, domo, locutione, & comestione sit nouis fratribus inter extraneos conuersandum. Si quando exeunt domum, habenda est eis custodia disciplinæ respectu societatis & sui. Societas & solatium & honestas religiosæ conuenit dignitati. Propter hoc